



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio XXV. De Cantore & Scholastico Cathedralis Ecclesiæ in Germania.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

contra Episcopi decretum vel preceptum
cedere presumant, ut loquitur textus.
Possunt igitur tales Decani exercere
jurisdictionem aliquam in suos Capi-
tulares, sed subordinatam Episcopo, &
in rebus minoris momenti. Unde
delinquentes arguere & reprehendere
possunt, ac in praxi solent, quamvis
in praxi non facile audeant ad poenas
intelligendas procedere, etiam minores
tantum.

Si quæras, qualis hæc sit jurisdic-
tio Decani Rurales, Ordinaria, an
Delegata? s. cum P. Pirhing n. 12.
cum distinctione: vel Decanus est ele-

ctus à Capitulo, ut plerumque fit,
& ab Episcopo postea confirmatus?
& tunc jurisdicctio ejus est Ordinaria,
atque datur à tali Decano ad Episco-
pum vel Vicarium Generalem appel-
latio. Innoc. in c. 3. n. 5. de Offic.
Ord. Laym. de jurisdicct. Ord. concl.
146. Vel est immediatè constitutus
ab ipso Episcopo vel Vicario Generali
sine electione pravia Capituli? &
tunc jurisdicctio ejus est Delegata ad
universitatem caularum, atque ab
Episcopo pro libitu amoveri potest ab
officio.

TITULUS XXV.

De Officio Primicerii.

DECISIO XXV.

De Cantore, & Scholastico Cathedralis Eccle-
siæ in Germania.

SPECIES FACTI.

Cum in Ecclesiis Germaniæ vel
nomen *Primicerii* ignotum, hu-
jus tamen officium de Jure sit, ut
prestitit Diaconis & aliis Clericis quoad
cantum & modum psallendi, ut &
in scholis quoad docendum eosdem.
can. 1. s. ad *Primicerium* d. 25. c. *um. b. t.*
idcirco in Ecclesiis Germaniæ, cum
hæc officium inter duos Canonicos
distributum videamus, quorum unus

Cantor, alter autem *Scholasticus* ap-
pellari consuevit, officium *Primice-
rii* ad hos duos devolutum esse vide-
tur. Quapropter, cum in multis Ger-
maniæ Ecclesiis Cathedralibus Canto-
rem canendi & musicæ, *Scholasticum*
verò scientiarum quandoque minus
peritum, nec gradu Doctorali insignem
esse contingat, ideo

Q 3

QUÆ-

QUÆRI POTEST,

*An in Germaniæ Ecclesiis Cantor esse possit, qui Musica
& canendi imperitus est, Scholasticus verò, qui Doctor
non est,*

Quòd Primicerius, seu, qui locum illius obtinet, Cantor necessario debeat esse peritus canendi, probatur I. quia de Jure ejus officium consistit in eo, ut præcinat, & alios cantum doceat. *can. 1. cit.* qui enim non canit, neque Cantor neque Præcentor neque Conceptor esse vel dici potest, inquit S. Isidor. *l. 7. ethym. c. 12.* relatus in *can. Cleros. §. cantor. d. 21.* nec habilis est ad officium, qui actiones officio proprias exercere nequit. II. Alii Canonici tenentur scire, & si non sciunt, addiscere cantum. *Garc. p. 3. c. 2. n. 113. de benef. Azor. p. 2. l. 3. c. 16. q. 1. Navarr. de Orat. c. 10. n. 47. §. c. 11. ad finem.* Aliàs non debent admitti, & si fuerint admissi, Episcopus eos cogere ad illum ediscendum, etiam per subtractionem fructuum, uti decidit S. Congregatio, ut refert Pignatelli *to. 8. consult. 21. n. 9. Ad 6.*

Quòd verò Scholasticus debeat esse gradu Doctorali conspicuus, voluit Tridentinum *S. 23. c. 18. de ref.* sic præcipiens: *de cætero verò Officia, vel dignitates illæ, quæ Scholasticæ dicuntur, non nisi Doctoribus, vel Magistris, aut Licentiatis in Sacra Pagina, aut in Jure Canonico, & aliis personis idoneis, & qui per se ipsos id munus explere possint, conferantur.* Ipsaque ra-

tio exigit, ut, quorum munus est alios docere, ipsi eximie docti, consequenter Doctores, vel publicè alicujus Academiae testimoniò ad docendos alios idonei sint declarati. *Trid. S. 22. c. 2. de Ref.*

Ut autem verissima hæc sint de Jure scripto, & in locis, ubi Officiales isti munus suum per se ipsos exequuntur, Jus tamen non scriptum, seu Consuetudinarium sicut executionem horum munerum in alios transtulit in plerisque Cathedralibus Germaniæ Ecclesiis, ita necessitatem peritiæ cantum & scientias sacras docendi Clericos alios sustulit apud illos Canonicos, qui Primicerii, vel potius Cantoris aut Scholastici, titulos consequuntur. Sic munus docendi cantum Capellæ Magistro vel aliis, etiam laicis Musicis, relinquatur, & Canonici, uti ipse quoque Cantor, non per se, sed per suos, ut vocant, Chori-Vicarios cantant & psallunt, munus verò docendi rectè jam dudum Professoribus Theologiæ tum speculativæ tum moralis, Jurisque Canonici in Academiis & Gymnasiis. Quæ consuetudo, cum non possit damnari ut irrationalis, ac pridem invaluit, rectè sustinetur, & observatur sine detrimento Ecclesiarum.

Unde

Unde allegata in contrarium Juris ob contrariam consuetudinem pro abolitis habenda sunt in Germania, Rationes verò stringere cessant, ubi exercitium horum munerum ab aliis, tanquam substitutis, ritè suppletur.

TITULUS XXVI.

De Officio Sacristæ.

DECISIO XXVI.

De Thesaurario circa sacram suppellectilem & redditus ad Fabricam Cathedralis Ecclesiæ pertinentes disponere sine Episcopi consensu attentante.

SPECIES FACTI.

Qui ex Canonicis ad id constitutus est in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, ut rerum sacrarum, vasorum, & vestimentorum ad officia Divina spectantium, reddituum fabricæ, totiusque thesauri Ecclesiastici custodiam habeat & curam, in hoc titulo *Sacrista*, in quibusdam Ecclesiis autem ex recepto usu *Thesaurarius* salutatur. Contigit

autem in Ecclesia collegiata G. sub titulo *Assumptionis*, ut Thesaurarius, cui cura Sacristiæ, rerum sacrarum & reddituum fabricæ Ecclesiæ commissa erat, hos redditus pro libitu & irrequisito Episcopo tanquam Superiore distraheret, sacrasque suppellectiles & ornamenta distraheret. Quapropter agitari cepit

QUESTIO.

An in plena potestate præfati Sacristæ vel Thesaurarii fuerit disponere independenter ab Episcopo de rebus ad Sacristiam vel Fabricam Ecclesiæ pertinentibus?

Ita equidem visum est S. Congregationi, quæ in favorem Sacristæ & Capituli dictæ Ecclesiæ Collegiatae decisionem fecit partim propter *c. re-latum* 12. de *Testam.* ubi Capitulis, con-

sequenter & iis, qui à Capitulis constituuntur Sacristæ vel Thesaurarii, tribuitur administratio bonorum omnium Ecclesiæ acquisite cum exclusione Episcopi: partim propter particula-